



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus V. De Processu Offensivo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

TITULUS V.
DEPROCESSU OFFEN-
SIVO.

Conf. Decretal. Lib. II. Tit. 19. & 20.

§. 66.

FINITO Processu Informativo, datur *Sequitur*
ejus copia vel ipsi Reo, si ita Ju- *Processus*
dici videbitur, vel saltem Accusato- *Offensi-*
ri aut Fisco, qui ex indiciis per In- *vus;*
formationem contra Reum repertis,
format articulos, seu Capitula com-
municanda Reo pro paranda defensio-
ne, cujus responsiones habentur pro
litis contestatione. Et sic initium
sumit *Processus offensivus*. Circa hunc
praxis diversarum Curiarum est varia.
Pauca Juri communi magis confor-
mia attingimus.

§. 67. Admissis articulis examinan- *Exami-*
tur Testes Accusatoris, & repetun- *nantur*
tur testes antea examinati pro Curia *testes Ac-*
Informatione, citato Reo ad viden- *cusatoris;*
dum ipsorum juramenta, qui po-
test Articulis adjungere Interrogato-
ria 82.). Etiam si Testes in examine
pro Informatione jam juraverint, de-
bent tamen iterum jurare, si repe-
tantur:

82.) L. 27. §. 7. ff. ad Leg. Jul. de
adulter.

tantur : nam sine repetitione non facerent probationem , nec ad condemnandum , nec ad torquendum , sed tantum ad inquirendum , si agitur de Reo præfente , cum ejusmodi Testes examinati fuerint Reo non citato. Si in priori Examine non juraverint , defectus hic purgatur per juramentum in repetitione , cum attendatur secundum examen factum solenniter parte citata , non autem primum pro informatione Curix susceptum.

Repetuntur testes

§. 68. Præter ea , quæ in priori Sectione de Testibus dicta sunt , notandum est , quod repetitio hæc non facile committi possit alteri a Judice , nisi gravis causa commissionem suadeat. Item quod repetitio fieri debeat cum omnibus solennitatibus & circumstantiis , ac si testes nunquam fuissent examinati. Proponuntur imprimis Interrogatoria a Reo proposita , vel ex officio Judicis adjecta : dein legitur cuique testi in secreto sua depositio antea facta. Si testis noluerit de novo respondere ad Interrogatoria , nisi prius ipsi legatur prima depositio , haberetur suspectus de falso : data autem responsione

ne

ne ad Interrogatoria facta per Judicem, potest jure suo petere, ut sibi legatur prima depositio. Ut hi testes faciant probationem, debent affirmare, ea vera esse, quæ in primo examine dixerunt: oportet autem repetere dicta per extensum, non vero se referre ad primum examen; quod licet posset sufficere in Civilibus, non tamen sufficit in Criminalibus. Possent tamen testes repetiti aliquid addere vel detrahare primis depositionibus, qua ratione relevant, vel aggravant Inquisitum. Si variant a primo dicto, Curia aliquæ ejusmodi testes torturæ subjiciunt, ad effectum videndi, in quo dicto velint persistere. Tam acri medio opus non erit, si testis in secundo examine alleget justam & rationabilem causam, quare a primo dicto recedat.

§. 69. Repetitio Testium in va- *Pro In-*
riis casibus omitti potest, scilicet, *formati-*
quando Reus declarat, se habere Te- *one jam*
stes pro rite & recte examinatis; *exami-*
quando condemnatus est in contu- *nati,*
maciam; quando Testes confronta-
ti fuerunt cum Reo; quando iste
confitetur delictum, & dato termino
ad se defendendum, nihil deducit
contra

contra propriam confessionem. Si Testis pro informatione examinatus, & pro repetitione citatus fugeret, vel se occultaret, redderet seipsum & reliquos testes suspectos de falso. Si Testes interea mortui essent, eorum dicta non probarent in Processu offensivo. Quamvis enim passim tradant Doctores §3.), quod Testes mortui probent, salvo jure opponendi exceptiones contra personas & dicta eorum; nihilominus textus legis hanc doctrinam firmantis, loquitur aperte tantum de causis Civilibus, ex quibus argumentum non procedit ad causas Criminales, ubi probationes debent esse plenæ: testes autem in Processu Informativo examinati absque partis citatione, faciunt solum indicium ad inquirendum, non autem operantur plenam probationem ad condemnandum.

Assumuntur aliæ probationes, §. 70. Præter testes adhibentur etiam aliæ probationum species, de quibus in sectione priori diximus. Sic delicta, quæ per scripturam sunt commissa, plene probantur per eandem scripturam, E. G. per literas, quibus

§3.) Ex L. fin. C. de Testib.

quibus quis hostem patriæ, aut proditorem consilio juvit, perduellionis conscium se profitetur aut quas falsas fecit in præjudicium tertii. Unde unde autem deducantur probationes, debent in criminalibus pro condemnatione esse plenæ & luce meridiana clariores 84.), ita ut nullum dubium superfit circa crimen: & quidem, quo gravior pœna imminet, eo fortior desideratur probatio. Communiter tenetur, indiciis & præsumptionibus plenam probandi vim non inesse, nisi vel documentis recognitis, vel confessione rei coram Iudice facta firmentur. Infra tamen, ubi de singularibus delictis sermo erit, facile apparebit, circa aliqua crimina judicari juxta violentas præsumptiones & indicia, ubi alia probatio haberi non potest.

§. 71. Frequentem usum ad pro- Et Con-
banda Crimina habet *Confrontatio*, *fronta-*
quando duo, qui de facto, aut ejus *tio.*
circumstantiis discrepant, inter se
committuntur, scilicet testes inter se,
F vel

84.) L. 16. C. de pœnis. L. fin. C. de
probat. L. fin. C. si ex fals. instrum.

De Jud. Crim.

vel inquisiti inter se, vel testes cum inquisito; nam frons sæpe prodit mentem mali consciam: & plerumque maximorum criminum rei, tam effrontes non sunt, ut absque ulla oris aut sermonis mutatione ferre possint præsentiam ejus, quem scelerum suorum conscium sciunt. Is tamen, qui per confrontationem deberet convinci, legitimis iudiciis commissi criminis gravatus sit oportet, præsertim si alioquin honesta famæ sit, & confrontatio fieret cum infami homine: vehementer enim per talem confrontationem fama honesti viri sugillatur.

**TITULUS VI.
DE PROCESSU DEFENSIVO.**

Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 34.

§. 72.

Conceditur Reo Defensio, **Æ**QUITAS & sana ratio exigat, ut Reo accusato vel Inquisito concedantur Defensiones, admissis etiam Advocatis, quorum opera uti possit ad formandos pro sua innocentia articulos. Unde Acta & Protocolla Inquisi-